

M I S M

K O 2 O



Portentiloquia Pontificia

De

SATISFACTIONIBUS.

Quæ

*Disputatione publicâ 8. Aprilis,
ab hora VI. usq; ad XI. habenda,*

In gloriam Unici SATISFACTORIS
& REDEMPTORIS,

*Gratiâ & auxilio Spiritus Sancti
examinabit*

HEINRICUS HÖPFFNERUS,
Theol. D. & Prof. Publ.

Respondente,

M. THOMA KEMPFERO,
Facult. Philosoph. Assess.



L I P S I Æ,

Excudebat GREGORIUS Ritzsch.

Anno M. DC. XXV.

JESU CHRISTO
Unigenito DEI & Mariæ Filio,

Sancto Sanctorum
Pleno gratia & Veritatis,

Mediatori,
Nostro ad DEUM Sponsori,
Satisfactori,

Mundi placamento,
Miserorum refugio,
Credientium delicio,

Uni,

Toti,

Ipsi,

Primo & Novissimo,

REGI REGUM,

Domino suo, & DEO suo,

Ad concelebrandam passionis
pro nobis exantlatæ
preciositatem
sufficientiam
efficacitatem infini-
tissimam,

Ut se totos,

ita hanc exercitationem Theologicam
devotissimo affectu, humilimo obsequio,
dicant, & consecrant

PRÆSES & RESPONDENS.

Anno M. DC. XXV.

Proœmium.

Duo sunt fines passionis Dominicæ,
 quam hoc tempore religiosa memoria reco-
 lit Christiana Ecclesia: Unus *primarius*, qui
 est satisfactio pro peccatis generis humani
 Christo imputatis, ut nos à pœnis eorum redimeret, Mat-
 thæi 20. v. 21. 1. Timoth. 2. v. 6. Alter verò est *secundarius*,
 qui est, ut relinqueret nobis ἱστορῆμα, exemplum, quo
 ejus vestigiâ sequamur, 1. Petr. 2. v. 21. hoc est, ut confor-
 mes ipsi fiamus, Rom. 8. & quisque moriatur peccatis,
 Rom. 6. & patienter tollat crucem suam, Matth. 16. v. 24.
 Contra utrumque finem, pontificiæ Ecclesiæ doctrina
 & praxis enormiter peccat. Nam videas illos κακοζηλία
 quâdam squalere, coram imagine CHRISTI capti, vin-
 cti, & flagellati, lacrymari, & dolores Christi deplorare;
 ad tumbam, in quâ reponitur imago Crucifixi, ejulare,
 grandem Crucem ligneam in processionibus bajulare,
 nec non flagellis se proscindere, aliaque id genus labo-
 riosa opera, in verbo DEI non præscripta, vel eligere, vel
 à sacerdote imposta suscipere, quæ disciplinas vocant.
 Huic *superstitioni* accedit horribilis *ignominia* inmeri-
 tum Christi, dum flagrionum afflictionibus, & cæteris
 pœnitentium disciplinis, attribuitur vis placandi DEUM,
 eidemque satisfaciendi, quoad pœnas temporales, ad
 quas post Baptismum lapsos, & jam DEO reconciliatos

A z

obli-

obligari contendunt. At his tam contumeliosis in Christum dictis & factis Scriptura è diametro adversatur. Nam Christus eos, qui vestigia ejus sequi volunt, jubet, ut tollant crucem suam, divinitus impositam, & vestigia signavit ipsis in caritate, Johan. 15. v. 13. humilitate, obedientiâ, & patientiâ, Philip. 2. v. 5. 8. quibus, & id genus aliis, DEO gratitudinem suam declarent. Solus autem ille est, cui disciplina pacis, id est, impunitatis nostræ coram DEO meritoria fuit imposita, Esa. 53.

Ut autem piæ mentes ad gratias DEO agendas pro *ὁρθοδοξία* nostrarum Ecclesiarum, & ad studium zelandi pro gloriâ Redemptoris sui eò magis inflammentur, placeat has abominations doctrinæ & praxeos pontificiæ, aliquantò patentius exponere, & ex verbo DEI prolixius refutare, sublatis Jesuitarum exceptiunculis.

Capita
disputa-
tionis.

I.

Capita erunt duo, quorum primo negabitur, in pœnitentium justificatione seu absolute à peccatis remanere, & non remitti pœnas temporales.

II. Altero destruetur pro iisdem pœnis non remissis electitia, & à sacerdote imposita satisfactio. *Faxit unicus ille satisfactor noster, ut gloriam ejus debito affectu asseramus & amemus.*

CAPUT

CAPUT I.

Falsum est: quod remissa culpa, sæpè maneat debitum luendæ pœnæ temporalis propriè sic dictæ.

Bellarminus cum ex Concilii Tridentini decreto Sess. 6. c. 14. & Sess. 14. c. 12. defendit suam thesî, objicit nostratum Doctorum divortium, quorum alii negent, ullam pœnam a Deo exigi post culpam remissam: alii vero admittant, reatum pœnæ temporalis in reconciliatis superesse.

Sed nulla inter eos pugna est. Nam posteriores hoc tantum volunt, quod castigationes piorum, non semper ad solam futurorum peccatorum cautionem, & probationem fidei, ac ceterarum virtutum divinitus sint directæ; sed insuper sæpè etiam, ob antegressa personalia peccata proæretica jam remissa, singulariter immittantur: tum ut ipsi admoneantur, quanta sit abominatio peccati, ne illud extenuent, vel negligant, aut defendant; tum ut alii hoc quasi publico spectaculo moniti, à peccatis custodiantur. Id quod prioris sententiæ assertores non inficiantur, sed addunt, totam hanc divinæ providentiæ administrationem esse gratiosam & salutarem, ac propterea ab impietum afflictione temporali, hoc est, propriè dictâ punitione diversissimam.

Pontificii autem propriè dictas pœnas esse volunt, quæ reconciliatis infliguntur, quia 1. dicunt, eas posse impedire hominem a salutis consecutione; Bellarminus l. 1. de indulg. c. 3. 2. quia pœnis temporalibus accensent, Purgatorii, quod fingunt, pœnas nimirum 1. Pœnam damni, hoc est, visionis Dei carentiam dum propter culpas suas, anima à fruitione DEI summi Boni impedita, non possint non dolere. 2. Pœnam sensûs, hoc est, ignis acerrimi, qui sit instrumentum Justitiæ divinæ, qualem etiam damnati patientur, remota duntaxat desperatione & eternitate. Bellarm. l. 2. de purgat. c. 10. & 14. 3. quia pœnam temporalem dicunt esse luitionem culpæ, quoad cõpensandam injuriam. Atq; sic negant peccati remissionem totalem, sicut expresse Canon 13. Concil. Tridentini d. l. sonat: Si quis dixerit, pro peccatis quoad pœnam temporalem, minimè Deo, per merita Christi satisfieri, pœnis ab eo inflictis, & patienter toleratis, &c. anathema sit.

Status ergo controversia est, an talium pœnarum reatu teneantur reconciliati post remissionem: Pontificii asserunt, nos negamus sequentibus argumentis,

I.

II.

III.

IV.

I. à naturâ pœnæ propriè sic dictæ.

V. *Essentiam pœnæ propriè sic dictæ indagare possumus, separatis communitatibus, quæ ipsi cum priorum castigationibus intercedunt. Conveniunt enim*

I. Materiali, nempe cruciatibus, seu quod omnes carni egrè faciant, Johan. 16. v. 22. & Johan. 1. v. 18. Unde fit, ut propter hanc identitatem cruciatuum sepè appellationes ipsæ promiscuè usurpentur, & afflictiones priorum dicantur, ita Domini, Mich. 7. v. 2. & vice versâ, pœna propriè dicta castigationis nomine veniat, Esa. 53. vers. 5. *כַּסְפָּר* castigatio vel disciplina pacis super eum.

II. 2. Generali causâ *πενυσιμείνη* & finali. Utraq; enim infligitur ob antegressum peccatum. 3. & quantum castigationes attinet, quæ peccatum proæreticum sequuntur, non minus ac pœna propriè dicta, immittuntur ad exemplum, ut alii à peccatis deterreantur, & sic à doctores & Martyris distinguuntur, quæ quidem peccatorum ignorantia & infirmitatis, ratione quâdam secundariâ, sunt sequela; primariò autem vel ad probationem fidei, patientiæ, spei, &c. Vel ad testimonium doctrinae caelesti perhibendum, Johan. 9. v. 3. Joh. 21. v. 19. 1. Pet. 4. v. 16. sustinentur.

VI. *Differunt autem formali. Nam in pœnâ propriè dicta est maledictio, Galat. 3. v. 13. quæ in foro DEI judiciario proficiscitur ab actu Justitiæ, ut inter culpam & pœnam sit proportio, Deut. 29. vers. 22. usq; ad finem capitis. Psal. 61. v. 1. Jerem. 25. v. 29. Castigatio verò piis imponitur xal' im'xav ab actu providentiæ DEI paternæ. Licet enim DEUS peccatum in se perpetuò detestetur, & ad contestandam suam erga iniquitatem odium calamitates immittat; tamen personam afflictam paterno affectu prosequitur, & in mediâ cruce diligit. Itaq; quemadmodum peccatum in fidelibus tollitur, non ut non sit, sed ne obsit; ita etiam afflictio, sive ob communia peccata, sive ob singularia delicta non semper tollitur, ut non sit, sed ne sit maledictio, 2. Sam. 7. vers. 14. Cum iniquè egerit, arguam eum virgâ hominum, & plagis filiorum hominum: Misericordia autem mea non recedet ab eo. Proverb. 3. v. 11. 12: Disciplinam Domini, fili mi, ne abicias, nec deficias, cum ab eo corripieris; Quem enim diligit Dominus, corripit, & quasi Pater in filio sibi complacet. 1. Cor. 11. v. 32: Cum judicamur à Domino, *καὶ αὐτοῦ βουλεύσει*, corripimur, ne cum mundo damnemur. Hebr. 12. vers. 5. Fili mi, noli negligere disciplinam, neque fatigeris, dum ab eo argueris: quem enim diligit Domi-*
nus,

nus, castigat: flagellat autem filium, quem recipit, Apoc. 3. v. 19.
Quemcunque amo, ἐλέγχο, arguo, καὶ παιδεύω, & castigo.

Ex hac diversâ utriusque formâ existunt etiam di- VII.
versæ affectiones, & effecta. Discriminantur enim

1. Modo sustinendi: Nam pœnæ debitores illam luunt animo
refractorio, & cum fremitu adversus Deum, & desperatione, sicut videre est in
Saule, 1. Sam. 28. v. 15. & c. 31. v. 4. Sed pii dum castigantur, se D E O patienter
subjiciunt, & in mediâ cruce Deum glorificant, Rom. 12. v. 12. Jac. 1. v. 3. & c. 5.
v. 8. Job. 1. v. 21.

2. Fine: pœnæ temporales non remissæ, sunt geminatio majoris mali,
Deut. integro c. 29. Luc. 23. v. 31. Castigationes autem paternæ spectant acriorem
sensem, & majus odium peccati in afflictis, Esa. 28. v. 19. c. 26. v. 9, mortifica-
tionem carnis, Jerem. 31. v. 18. 1. Pet. 4. v. 1. 2. Cor. 4. v. 16. & desiderium vitæ
æternæ, Rom 5 v. 4. & quod mortem naturalem attinet, cessationem sensus pec-
cati, ut tandem omnis peccati inhaerentis radix per cineractionem aboleatur.

3. Eventu: pœnæ temporales non remissæ, sunt initium & vestibulum
secaturi exitii æterni, 1. Pet. 4. v. 17. Piorum autem castigationibus con-
iuncta est mitigatio sive externa, sive interior consolatio, Jerem. 30. vers. 11. &
tandem sequitur leta catastrophe, Mich. 7. v. 9. Psal. 34. v. 19. Psal. 91. vers. 15.
Psal. 103. v. 9. 1. Pet. 2. v. 9. Expendantur omnes calamitates, sive naturales, si-
ve personales, eaq; aut publicæ, aut privatae, licet suâ naturâ sint mala, tamen
divinâ gratiâ commutantur piis in benedictionem: Unde Psaltes nominat cali-
cem salutis, Psal. 116. v. 32. Unde Paulus Rom. 8. vers. 28: Scimus autem,
quoniam diligentibus D E U M, omnia cooperantur in bonum. IX.
Ipsa mors, quæ omnium terribilium est terribilissimum, piis in placidum somnum
vertitur, ut summo desiderio ceu lucrum aliquod expetatur, Philip. 1. vers. 25.

Sic ergò concludimus hanc rationem:

VIII.

Quæcunque afflictio à Deo immittitur κατ' ἐπιμέλειαν, ob saluta-
res afflictorum usus & eventus, ea non potest esse pœna
non remissa.

Sed reconciliatorum castigatio est afflictio, quæ à Deo im-
mittitur κατ' ἐπιμέλειαν, ob salutare afflictorum usus & even-
tus:

Ergò reconciliatorum castigatio non est pœna non remissa.

Neq; est, ut regerant Pontificii, se quoq; loqui de pœnis temporalibus non
impio-

impiorum, sed eorum, qui jam sunt in gratia apud Deum: Hoc ipso enim factam implicat contradictionem, quod dicant, remissionem peccatorum iam adeptos, nihilominus affici poena temporali, secundum Justitiam Dei, peccato debita, pro qua illis adhuc sit satisfaciendum.

IX. II. Argumentum ab efficaciam remissionis peccatorum,

Remissio peccatorum est actus DEI gratiosus, quo satisfactionem Christi pro nobis prestitam, credenti imputat, peccati foeditatem tegit, reatum condonat, & poenam peccato secundum illum debitam aufert.

Jam poena temporalis quoque est istiusmodi debitum peccato contractum.

Ergo & illa in remissione peccatorum tollitur.

X. Bellarminus universalem hanc rationem limitat, & contendit, peccata quidem remitti, quoad culpam & poenam aeternam, non autem semper quoad poenam temporalem. Resp. At sic peccatum tantum quoad aeternam, & quoad aliquod meritum suum, non autem totaliter remitteretur. Nam Scriptura saepe quoties de remissione peccatorum loquitur, tunc ea considerat, ut sunt causa poenarum, per modum meriti. Ideoque peccatorum remissio nihil aliud est, quam mali peccato pro merito ablatio.

XI. Exprimi hunc sensum,

1. Ipsa Phrasis, qua DEUS dicitur ἀφέναι τὰ ἁμαρτήματα: ἀφέναι autem est aliquid a se amovere, relinquere, sicut Matth. 4. vers 20. Petrus & Andreas dicuntur ἀφέντες τὰ δίκτυα, omittere retia: ita librum remittit arbor; Eques frenos. 2. Per metaphoram est rationem alicujus non habere, Matth. 15. v. 14. c. 18. v. 12. c. 23. v. 23. & opponitur τὸ κραλεῖν, Marc. 7. v. 8. Ubi Pharisei dicuntur ἀφέντες τὴν νόμον, neglecto & omisso mandato, κραλεῖν tenere & curare traditiones hominum. Similiter & ἀφέναι τὰ ἁμαρτήματα, est, peccata missa facere, & ut Graeci exponunt Scholiasta, ἀμελεῖν, non curare, id est, nolle propter ea peccatorem punire; declarare aliquem pro innocente, ei quoque opponitur τὸ κραλεῖν ἁμαρτίας, Joban. 20. v. 23. retinere peccata, id est, peccatorem habere pro devincto & obligato ad poenam.

II. Equi-

II. *Equipollentia* similium formularum, quibus Deus dicitur, peccatorum non recordari, Jerem. 31. vers. 34. Cui respondet latinum ignoscere. Opponitur autem observatio peccati, Psal. 130. v. 3. Si iniquitates observaveris, Domine, id est, si peccata imputaveris & rigide pœnam exegeris, quis sustinebit? Sed & longius hanc metaphoram persequens Scriptura asserit, peccata regi, deleri, in profundum maris projici, Mich. 7. v. 19: Sicut & latini Poëta, ea, quæ extra curam poni significant, Ventis dicunt tradi, in mare raptanda. Hinc sic concludimus:

Quibus DEUS ita peccata remittit, ut eos ob meritum suum nolit punire, & quid meruerint, ne recordari quidem velit, illi non sunt obligati, ad pœnas illorum peccatorum luendas:

Pœnitentiam veram agentibus DEUS ita peccata remittit, ut eos ob meritum suum nolit punire, & quid meruerint, ne recordari quidem velit.

Ergò pœnitentiam veram agentes non sunt obligati ad pœnas illorum peccatorum luendas.

Becanus lib. .1 Manual. c. 8. §. 33. paulò aliter restringit illum Canonem ad argumentum Scholasticorum: Sublatâ causâ tollitur effectus. Sed culpa est causa pœnæ; Ergò sublatâ culpâ tollitur pœna. Respondet: in culpâ tria esse spectanda; nempe maculam, offensam, & injuriam, quarum illa competat peccato, quatenus defœdat animam peccatoris; ista, quatenus offendit Deum, & ledit amicitiam ejus: hæc verò, quatenus mandatum DEI transgreditur, atq; ita violat jus DEI, quod est, ut ejus legi obediatur. Jam minorem concedit tantùm de culpâ quoad injuriam spectatâ, quod sit causa pœnæ: ex maculâ verò & offensâ, reatum pœnæ præcisè non oriri scribit. Proinde vult, sublatâ demum culpa quoad injuriam, simul etiam tolli omnem pœnam, quia diversus modus sit tollendi culpam, & macula & offensa tollatur per justificationis gratiam, quæ animam reddat in se pulcram, & per hoc iterum offensam tollat, quia anima sic pulcra, Deo amabilis, grataq; efficiatur, & in pristinam amicitiam restituatur; Sed injuriam auferri vel per liberam condonationem, quam verò DEUS non semper præstet, vel per aliqualem satisfactionem, quam Deus possit exigere ab homine jam in gratiam constituto.

B

Vides,

XII.

exceptio.

77X

77X

77X

77X

77X

77X

77X

77X

77X

77X

77X

77X

77X

77X

77X

77X

77X

77X

77X

77X

77X

77X

77X

XIII.

Vides, Christiane lector, quanta per hunc Orci admissionalem porta pandatur ad desperationis barathrum. Nos ita destruimus: Quicquid immediatè sequitur ex offensâ DEI, seu lapsu in peccatum, & cum maculâ, reatu pœnæ perpetuò cohæret, id non potest, reliquis sublatis, remanere. At injuria immediatè sequitur ex offensâ; Est enim ipsa Dei per offensam offensio. Quia enim peccati forma est transgressio legis, ideò primò offendit, & injuriâ afficit Deum legislatorem; Et hæc ipsa aspernatio voluntatis divine mandato significata, iram Dei commovet.

XIV.

Perpetuò quoque cohæret injuria cum maculâ. 1. Quia hoc ipso, dum offendit homo Deum, & exorbitat ab ordine ejus, fit scædus & abominabilis, dignus qui rejiciatur. 2. Cum reatu pœnæ cohæret necessario injuria in Deum. Reatus enim oritur ex additâ legis violata sanctione per denunciationem pœnæ, & cõjunctus cum irâ offensi Numinis pœnam efficit. Equitas enim pœnæ est ex reatu, seu dignitate odii: immissio ipsa est ab irâ. Cum itaq; in justificatione pœnitentibus auferatur reatus seu conditio, quâ quis dignus esset odio & pœnâ: cum etiam DEUS non sit amplius iratus, quomodo pœna supererit, quæ ex reatu & irâ, velut Στάλασμα, oritur? Hinc est, quod ipsa pœna quoq; interdum per metalepsin vocetur maledictio, & ira Dei, 2. Pet. 2. v. 14. Rom. 14. v. 15. quæ & ἀπωλεία; voce explicatur, Rom. 9. v. 22. Ita lex dicitur iram operari, id est, pœnam parere, Rom. 4. v. 15. & ἐπιφέρει ὀργήν, Rom. 3. v. 5. id est, punire. Et magistratus dicitur vindex in maleficos constitutus ad iram, id est pœnam infligendam, Rom. 13. v. 4. eiq; parendum esse docetur non solum propter iram, id est, pœnæ formidine, sed propter conscientiam.

Reatus
pœnæ
quid?

XV.

Gratiæ
Dei in ju-
stificatione
& in re-
novatio-
ne, diffe-
rentia.

Porro modum tollendi culpam quod attinet, consistit ille in solâ gratuitâ imputatione justitiæ CHRISTI per fidem apprehensa. Non enim tollitur, ut non sit, sed ne imputetur, tum macula, tum reatus, tum injuria, per & propter imputationem obedientiæ, munditiæ seu puritatis & innocentie Christi: Et gratia justificationis effectibus omninò distincta est, à gratiâ renovationis: Illa maculam peccati tollit regendo, ne veniat in conspectum Dei ut vindicis; hæc eandem quoad inherens dominium aufert: Illa DEUM peccatoribus reconciliat, & facit, ne reatus ipsis noceat: Hæc ipsam justitiam in hâc vitâ inchoat, & de die in diem auget, demùm in vitâ æternâ consummandam.

XVI.

Hinc oritur

III. Argumentum, quod est ab identitate gratiæ divinæ, in Baptismo & pœnitentiâ remittentis peccata, & organi eam apprehen-

prehendentis. Sicut in justificatione per baptismum divina gratia tollit omnem pœna reatum, ita & in justificatione pœnitentium nulla pœna remanebit. At in justificatione per baptismum remittitur peccatum, quoad omnis pœna reatum. Ergo & in justificatione pœnitentium nulla pœna remanebit.

Minor confessa est utriq; parti.

Major autem negatur à Bellarmino, qui multoties discrimen illud gratia & remissionis peccatorum inculcat lib. 4. de pœnitent. c. 10. 13. & 14. èd quod fœdus in pœnitentiâ sit aliud a fœdere baptismatis, & quidem longe durius, c. 12. l. 4. de pœnit.

Exceptio
Bellarm.
XVII.

Duritatem illam collocat

XVIII.

1. In diversitate gratiæ fœderalis: Remissionem in Baptismo dicit fieri plenè & integrè, c. 10. d. l. quoad omnem pœnam: remissionem autem, quæ fit in pœnitentiâ, tollere quidem culpam & pœnam aeternam, non autem totam pœnam temporalem, c. 14. d. l.

2. In conditionibus fœderalibus: In Baptismo remissionem culpa & pœnae cujuslibet accipi gratis, solâ Baptismi susceptione: in pœnitentiâ verò gratia cooperari opera hominis, auxilio Dei speciali præstita, & contritionem & confessionem, cum proposito novo, tollere culpam & pœnam aeternam, per modum dispositionis, & impetrationis, ita ut DEUS ex congruo placetur, & peccatori reconcilietur; c. 12. d. l. Pœnam autem temporalem ex condigno tolli per satisfactionem, c. 13. d. l. Ideoq; lib. 2. de indulg. c. 6. ait, secundam hanc reconciliationem, esse quasi medicinalem curationem, & Baptismum quendam laboriosum, & secundam tabulam post naufragium. Addit insuper rationem à Justitiâ DEI, lib. 4. de pœn. c. 14. & refert se ad librum 1. de pœnit. c. 13. ubi hæc verba ponit: Nulla ratio patitur, ut eâdem facilitate DEUS ignoscat iis, qui ignorantes, & qui scientes peccârunt: allegatis verbis Domini de servo, Domini voluntatem, quam sciebat, negligente, & propterea multis vapulatur, Luc. 12.

Resp. Nos ante omnia negamus, post lapsum antiquari fœdus Baptismi, & in pœnitentiâ novum feriri.

XIX.

1. Ob identitatem causarum, quæ utrobique ad remissionem peccatorum requiruntur. In Baptismo DEUS homini promittit gratiam gratis imputantem meritum Christi, & peccata remittentem, quoad culpam & pœnam omnem, tum etiam gratiam renovationis, quâ imago Dei de die in diem in-
stauretur: Homo autem se obligat ad fidem & obedientiam, quarum illâ ap-

Fœdus
Baptismi
ex parte
Dei non
aboletur
in hominū
apostasiâ.

prehendit meritum Christi, sibi in justitiam imputandum; hanc autem gratitudinem suam Deo demonstrat, &c.

XX. Eadem gratia, & pœnitenti denuò exhibetur, & per idem medium *ἐπιπλήρωσιν* applicatur. Atq̃, ita pœnitentia non est nova pœctio, sed ad priorem in Baptismo factam regressio; qua pœnitens integrè in possessionem salutis, & libertatem ab omni pœnâ restituitur, Apoc. 2. v. 5. Memento, unde excideris, & age pœnitentiam.

XXI. Verum quidem est, lapsos cōtra cōscientiam excidere ex navi Baptismi, & ex parte sui, hoc est fidei naufragium facere, atq̃, habere opus alio medio *δοτικῶν*, quo fidem ipsis DEUS iterum conferat. Illud medium est verbum Evangelii, quod in absolutione specialiter pœnitenti applicatur. Hoc ergò respectu concedi potest, Patrum, quos Bellarminus allegat, pœnitentiam ratione absolutionis spectatam, esse alteram tabulam; quia cum Baptismus iterari nequeat, opus est novo medio generandi fidem & applicandi gratiam. Non verò est altera tabula, quoad diversitatem gratiæ, & mediis apprehendendi gratiam. Nam eadem salus, quam DEUS in fœderis initiatione, per primam remissionem peccatorum factâ gratis propter Filii sui meritum, baptisato in Justitiam per fidem imputatum, promisit & contulit: Eadem, inquam, salus pœnitenti confertur, ob Christum mediatorem fide apprehensum. Unde Baptismus, hujus fœderis respectu, comparatur magnæ illi navi, seu Arcæ Noæ, 1. Petr. 3. v. 21: quia ut per hanc Noa cum familiaribus suis, fuit in aquis diluvii servatus ab interitu: Ita Baptismus ratione fœderis est navis firmissima, per quam ex vasto peccatorum & mortis Oceano eripiuntur, & ad portum salutis tutò devehuntur omnes, qui vel ex navi hac ultro non excidunt, vel prolapsi, tandem ad illam per pœnitentiam revertuntur.

XXII. Testatur hoc ipsum & consolationis plenissima Dei vox, apud Jer. 3. v. 1. Ubi sic apostaticam Ecclesiam alloquitur: Revertere ad me, dicit Dominus, revertere rebellis Israel. Quò pertinet similitudo à fœdere conjugali, quæ ibidem adducitur. Sicut enim post discidium, quando pars ledens cum læsâ redit in gratiam, non initur novum fœdus matrimoniale, sed persona offensa, pristini fœderis memor, deprecationem reæ partis admittit, illiq̃, ignoscit: Ita quoq̃, lapsi contra cōscientiam defecerunt à Deo, sed pristinum fœdus, quod cum singulis baptisatis igitur, per fidem in Christi meritum, & gratiam fœderalem redintegrantes, reconciliantur DEO, & in gratiam fœderis illius recipiuntur.

XXIII. 2. Ob efficaciam Baptismi, quæ ad omnem vitam baptisati sese
ex-

exporrigit: ideoq; Spiritus S. eam, secundum omnes temporis differentias eloquitur, Tit. 3. vers. 5. Salvos nos fecit per lavacrum regenerationis, &c. 1. Pet. 3. v. 21: Baptismus salvos nos (dudum baptisatos, & post lapsum, sicut ego feci, resipiscentes) facit. Marc 16. v. 16. Qui crediderit & baptisatus fuerit, &c. Salus enim & finis, & effectus est Baptismi.

3. Ob per petuitatem novi Testamenti, seu fœderis, XXIV.
Ose. 2. vers. 19. Desponsabo te mihi in sempiternum, &c. Esa. 54. v. 10. Montes quidem commovebuntur, & colles loco cedent; Misericordia autem mea non recedet, & fœdus pacis meæ non movebitur, dicit miserator tuus Dominus. Quamvis enim hoc fœdus Dei non sit absolutum, sed quoad remissionem peccatorum requirat conditionem, nempe fidei, tamen si homo fiat fœdisfragus, nihilominus DEUS ex sua parte fidelis est, ut, quandocunq; homo iterum implet requisitam conditionem organi, gratia ejus denuò apprehendatur, imò et si ab impœnitente nunquam applicetur, tamen fuisset applicabilis, Rom. 3. v. 3: Num incredulitas hominum, fidem DEI evacuabit? absit! 2. Tim. 2. v. 13: Si non credimus, ille fidelis permanet, seipsum negare non potest.

Jam Baptismus est medium initiandi fœdus cum DEO; Est enim *ἡμετέριον* bonæ conscientia erga DEUM, per resurrectionem JESU CHRISTI, 1. Pet. 3. vers. 20. Deus enim sub nominis sui oppignoratione promittit gratiam suam baptisato in nomen Dei, quasi dicat: Ita nomen meum æternum sit! Ita sim justus, misericors, & omnipotens & verax, ut ego ex animo te mihi vendico, te recipio in filium, cui justitiam redemptoris tui imputo, & salutem gratis confero, & te à peccato & omni miseriâ liberabo: Visne mihi adhærere, & omni pompæ diaboli renunciare? Homo autem baptisatus spondet fidem, & obedientiam, ita ut bona conscientia, id est, cor regeneratum, fiducia in meritum Christi se absolvat, & de peccatorum remissione gloriabundum & latabundum, ex sua quoq; parte DEUM interroget: Nonne verum est, mi DEUS, quod morte CHRISTI parta, & in fœdere tuo mihi applicata remissio peccatorum sit rata? Certè verum: nam si hoc non esset, satisfactor meus non resurrexisset, non sedisset ad dexteram DEI.

Quare hujus fœderis perpetui vigore, pœnitentes per fidem Deo reconciliantur, quia durat eadem gratia Dei in Baptismo promissa; durat meritum mortis Christi, in quam baptisati sumus, Rom. 6. v. 3. omnia omninò peccata expian-

ti, 1. Johan. 1. v. 3. durat efficacia resurrectionis Christi, & sessionis ad dexteram DEI, per quam CHRISTI mors in Baptismo fuit specialiter applicata, quotiescunq; ponitur conditio organi beneficia DEI recipientis, quod in pœnitentibus evenit, & proinde in pœnitentiâ non sancietur novum & aliud fœdus.

XXVII. Deinde nec conditio fœderis ex parte nostrâ, in reconcilia-
tione lapsorum post Baptismum, est alia, vel durior, quàm in
Baptismo. Nam ad remissionem peccatorum, quatenus est, seu ratione es-
sentia suæ spectatam, ex parte nostrâ nihil est necessarium, nisi conditio me-
diæ ἀτιληπτικῆς, nempe fidei, quæ & ipsa in Baptismo necessaria est tum in-
fantibus, qui eandem per Baptismum accipiunt. Johan. 3, 5. tum adultis,
qui per verbum prædicatum antea sunt regenerati, 1. Pet. 1. v. 23. in Ba-
ptismo autem augetur, & confirmatur.

XXVIII. Hoc tantum discriminis est inter fidem infantium baptisato-
rum, & inter fidem pœnitentium tam ante Baptismum in adultâ etate
suscipiendum, quàm post Baptismum, quod illi non egeant præcedentiâ sui
probatione; horum autem fidem præcedat. agnitio peccati, & quam illud
meruit, mortis & servitutis sub peccati jugo, sive illa sit interna, sive externa,
quæ Confessio dicitur. 2. Ex hac agnitione serius dolor de peccato, & merito
illius, qui signis etiam externis ostenditur.

XXIX.] Sed hæc, & id genus alia fidem præcedentia, non sunt necessaria ad re-
missionem peccatorum, siquidem forma sanorum verborum retineri debet.

Quicquid enim ad remissionem peccatorum, ut est, seu
ratione essentia spectatam, non requiritur, id non potest dici
ad eam esse necessarium. Sed agnitio peccati, contritio &c. ad
remissionem peccati, ut est, non requiruntur. Sola enim fides est
ὄργανον ἀτιληπτικὸν gratiæ, & quod illa imputat, meriti Christi, juxta
dicta Marc. 5. μόνον πίστεως, tantum crede. Rom. 3. Justificamur fide, absq;
operibus. Gal. 2. ἐὰν μὴ ἐκ τῆς πίστεως, non nisi ex fide. Unde Syrus interpres
phrasin, hanc διὰ πίστεως, exponit כִּיד הַיְחֻזָּה per manum fidei, Rom.
3. v. 22. quam paraphrasin non adhibet de operibus laboriosis, cum verbi
gratiâ Act. 14. v. 22. dicitur: Per multas tribulationes oportet ingredi in
regnum cælorum: Adhibet enim ibi præfixum כִּי, quod pro subjectâ materiâ
vel instrumentum, vel ordinem, vel etiam causam principalem, Rom. 6. v. 4.
notat, nempe quia tribulationes non sunt organica salutis causa, sed ratione
ordinis tantum eam antecedunt. Sic agnitio peccati, confessio & contritio sunt
nuda

nuda tantum antecedentia remissionis peccatorum, qua Spiritus Sanctus per legem DEI operatur, ut de remedij necessitate cogitetur, non autem habent rationem causae vel medij.

Ideoq; falsissimum est, quod habeant se per modum dispositionis aut impetrationis. Nam nec ipsa fides, quatenus est opus, concurrat ad remissionem peccatorum; Rom. 11. Quod si per gratiam, (imputantem Christi meritum) jam non ex operibus, alioquin gratia jam non est gratia; si ex operibus, jam non ex gratia, alioquin opus non est opus. Ephes. 2. Gratiâ (imputante) salvati estis, idq; non ex vobis, DEI (meritum Christi gratis imputantis,) donum est, ne quis gloriatur.

XXX.

XXXI.

Sic ergo colligo: Si contritio esset causa disponens & impetrans remissionem peccatorum, non justificaremur gratiâ imputante meritum Christi, & justificatio non esset tale donum DEI, quod excluderet gloriationem. Loquitur enim de quibusvis operibus, etiam quae sunt donum gratiae renovantis, qualia fuerunt Abrahamae jam renati. Si enim Abraham ex operibus (etiam à gratiâ profectis) justificatus est, habet, quod gloriatur, Rom. 4. At consequens est falsum: quia fides ipsa justificat, non efficiendo Justitiam, & gratiam, sed apprehendendo. Unde quando impetrare dicitur remissionem peccatorum, non μεμεντικῶς, per modum acquisitionis, sed λαπτικῶς est accipienda, quia in Christo gratiam DEI justificam, & non imputantem peccata homini applicat.

Exesto ergo ex Ecclesiâ DEI Monasticum congrui meritum, seu impetratio remissionis peccatorum per opera laboriosa: Sileant dispositiones ad remissionem peccatorum, quae non per inhaerentem Justitiam, sed per imputationem alienae obedientiae accipitur.

XXXII.

Alterius autem conditionis vanitas, dum Jesuita remanere dicit poenam temporalem, ut ejus remissio per satisfactionem acquiratur, in sequente capite demonstrabitur.

XXXIII.

Restat argumentum Bellarmini à Justitiâ divinâ sumtum, Resp. I. de remissione peccatorum non judicandum est ex judicio rationis, cum cogitationes hominum non sint cogitationes DEI, Esa. 55. v. 8. pendet remissio peccatorum, quoad omne meritum ex gratiâ DEI, quae exuberat supra omne peccatum, Rom. 5.

XXXIV.

Obiectio Bellarmini. Resp. I.

Nec patitur 2. in hoc articulo, Evangelium misceri distinctissima obiecta proprietatum in DEO. Alia sunt obiecta Justitiae DEI punientis, alia misericor-

XXXV.

misericot-

miseriordia cum iustitiâ remunerante Evangelicâ temperata. Nam obiectum punientis iustitiæ est CHRISTUS, cui imputata sunt peccata nostra, ut universas eorum pœnas, aternas & temporales lueret, easq; omnes sustinuisse, & sic pro peccatis satisfecisse, sacra litera evidentissimè testantur, nec ipsi Jesuita diffiteri possunt: Unde adultis etiam peccata proæretica, ante Baptismum commissa, vi meriti Christi, quoad omnem pœnam remitti docent.

XXXVI. Objectum autem misericordiæ, cum iustitiâ remunerante conjunctæ, sunt omnes credentes, quibus Iustitia Christi gratis imputatur, eosdemq; sic justos DEUS premiis afficit hujus & futura vitæ. Unde hac remunerans Iustitia Evangelica sæpè de misericordiâ usurpatur. Ut à 70. Interpretibus exponitur, v.g. in Psal. 103. v. 6. reddunt; faciens misericordias Dominus: In Hebræo est, iustitias; & vice versâ, ubi in Hebræo est misericordiæ vox, sæpè illi vertunt *δικαιοσύνην*, Genes. 32. v. 10: Minor sum Domine omnibusq; miserationibus tuis; Septuaginta habent *δικαιοσύνης* vocem.

XXXVII. Quare hinc argumentamur contra Jesuitam:

Quod Christo imputatum est, ut lueret omne illius meritum pro nobis, id, nulli cui iustitia Christi imputatur, quoad ullam pœnam est luendum.

At peccatum Christo imputatum est, ut illius meritum omne lueret pro nobis.

Ergò nulli, cui iustitia Christi imputatur, quoad ullam pœnam est luendum.

Si nulli credenti; Ergò nec illi, qui sciens, volensq; post Baptismum lapsus est.

Major nititur ἀφ'ἑκτῶ oppositione, imputationis peccati, & non imputationis, quæ non imputatio peccati est imputatio iustitiæ.

XXXVIII. Deniq; urgemus eos particularitate, quam statuunt eorum, qui post Baptismum obnoxii sunt pœnis temporalibus. Ipsimet enim exemplis Paralytici, Matth. 9. mulieris peccatricis, Luc. 7. adulteræ, Joban. 8. qui per circumcisionem regenerati, & in fœdere Dei fuerant, exemplis convicti asserunt, pœnam temporalem personalem non semper remanere. Si ergo his, salvâ Iustitiâ, potuit condonari etiam temporalis pœna; cur ceteros Iustitia Dei, pœnæ illius reatu constrictos retineret, remissâ culpâ & pœnâ aternâ.

XXXIX. IV. Argumentum ab effectu, qui est conscientia tranquillitas,

quillitas, & gloriatio sub spe gloria Dei, in ipsis afflictionibus, & in ipsa Dei castigatione. Qui fruuntur pace & tranquillitate conscientia, iis non potest, post remissionem, remanere poena aliqua proprie sic dicta seu non remissa. Iustificati fruuntur pace & tranquillitate conscientia. Ergo iustificatis non potest remanere poena aliqua non remissa.

Major certa est, quia conscientia offensi Dei, & metus poena non remissa, & adhuc sustinenda, prorsus adversantur Spiritus S. consolationi de innocentia & impunitate iustificatorum testificantis, & conscientiam pacantis, Rom. 5. v. 1. Iustificati fide pacem habemus cum Deo. Luc. 1. v. 73. Ut ἀφόβως, sine metu, è manu inimicorum nostrorum (qualis manus peccati etiam est poena temporalis.) liberati serviremus ipsi.

Πόρισμα.

Hinc porrò falsum est, esse etiam poenas temporales in altero seculo luendas, animabus piorum.

Nam pax Dei, quam in remissione per fidem sunt adepti, immota est, Esa. 54. v. 9. & securitas in sempiternum, Esa. 32. v. 17. omnibus, qui in hac vita à peccatis sunt absoluti. Si enim nullae omnino poenae supersunt iustificatis luenda in hac vita, multò minus erunt in altera vita, & quidem animabus sustinenda in purgatorio.

2. Accedunt huc peculiare rationes, quae testantur, non tantum à proprie dictis poenis, sed & ab omni castigatione ac miseria immunes animas eorum, qui in Domino moriuntur. Dicuntur enim amodò beati, Apoc. 14. v. 13. transisse à morte ad vitam, Johan. 5. v. 24. & post ἀνάσσειν esse cum Christo, Philip. 1. v. 28. in aeternâ habitatione, 2. Cor. 5. v. 1. secundum animam, quae redit ad Deum, qui dedit illam, Ecclesiaste 12. v. 7. Sicut latroni in cruce dicebat Christus: Hodie mecum eris in Paradiso, Luc. 23. v. 43.

3. Dicta verò, quibus Bellarminus abutitur, loquuntur, aut de afflictionibus hujus vitae, quas Scriptura solet igni comparare, Psal. 66. v. 12. Esa. 9. v. 18. & tenebris Mich. 7. v. 9. aut de reformatione & repurgatione doctrinae per probatorium ignem verbi divini, Malach. 3. v. 3. & c.

Aut de distinctis gradibus aeternae damnationis, quos Christus, Matt. 5. v. 21.

I.

II.

III.

Objectio-
nes Pon-
tificiae.

IV.

decla-

C

declarat per distinctos gradus pœnarum capitalium in judiciis reipublicæ Judæicæ, in quâ levius erat reum esse iudicio, quàm concilio, & levius erat esse reum concilio, quàm gebennæ.

V. De eadem damnatione aternâ testatur & in loco Matth 5. v. 25. Agit enim ibi CHRISTUS de odio irreconciliabili, quod vel ex Pontificiorum hypothese, in alterâ vitâ non remittitur; Quare non potest inde purgatorii ignis accendi. Particula verò donec non significat finitum tempus, sed infinitum, ut Psal. 110. v. 1. & aliâs. Perpetuò enim luunt damnati pœnas, nec possunt satisfacere Deo, quia summè sunt inobedientes Deo, & cum fremitu cruciatus sustinent, ac debitum est infinitum, ita ut nunquam illo possint liberari, & victores mortis, atq; inferni evadere, cum ad hoc divina potentia requiratur, qualem Christus demonstravit in triumpho, de peccato & morte reportato.

CAPUT II.

Longè falsius est, quod homo iustificatus non tantùm possit, sed etiam ex condigno possit, pro pœnæ temporalis debito satisfacere.

I.
Requisita
satisfac-
tionis
coram
DEO.

Impietas hujus assertionis refutatur,

I. à requisitis satisfactionis coram DEO.

Hæc sunt tria: Primum est, ut λόγος seu precium justitiæ divinæ sit acceptabile. Est enim hæc natura precii, quod sit res aut factum, sui valore aut æstimatione alterum movens, ut alicui concedat rem aut jus aliquod, puta impunitatem, & patiatur illum liberari incommodo, quo alioquin illum affecturus erat; quale incommodum est captivitas, exilium, servitus, mors & qualibet pœna. Quod si ergò λόγος non sit acceptabile, vel ob imperfectionem, vel quia DEUS illud prorsus improbat & abominatur, non potest tolli obligatio, & reatus.

II.

Deinde precium oportet esse indebitum, quia quicquid boni & in oculis Dei placens, perficere ac perferre potest homo, id omne est debitum & requisitum in lege divinâ. Nimirum ergò, sicut debitor creditori non potest satisfacere,

satisfacere, si aliàs illi debitâ pecuniâ vellet debitum alterum compensare: Ita quoq̃, nec Deo potest per opera laboriosa, alias debita, satisfieri.

Examinentur jam ad hæc duo requisita modi tres illi satisfaciendi pro III.
pœnis temporalibus, quos ex Concilio Tridentino Sess. 14. c. 9. enumerat Bellarminus l. 4. de pœnit. c. 4. Nominat 1. pœnas & flagella à DEO immissa patienter ferendo: 2. Opera laboriosa spontè assumendo: & 3. mulctam sacerdotum arbitrio injunctam subeundo. Et cap. 12. in respons. ad 2. argument. Philippi Melanch. Etsi, inquit, nos fatemur, flagella divinitus immissa, si æquo animo tolerantur, non parùm prodesse ad satisfactionem; tamen magis propriè satisfactiones dicuntur labores spontè assumti, vel à Judice Spirituali impositi ad compendandam injuriam.

In his omnibus modis deest

1. Acceptabilitas ad satisfaciendam; tùm quia omnia opera Christianorum, utpote adhuc ex parte carnalium, Rom. 7. v. 14. Legi Dei præstita, imperfecta sunt, Philip. 3. v. 12. neq̃ ulli coram Deo sint innocentes, Exod. 34. vers. 7. Ideoq̃ omnes quotidianâ peccatorum indigent remissione, Psal. 32. v. 6. tùm quia opera laboriosa, quæ secundo loco enumerantur, & qualia item pleraq̃, tertii generis sunt, quæ sacerdotes Pontificii imponunt, sunt opera humanitus inventa, quibus, ubi accedit opinio necessitatis, & cultûs, DEUS frustra colitur, Matth. 15. vers. 19. & irritatur, Psal. 106. vers. 36. sicut Zach 7. vers. 6. Judæi annis 70. mense 5. & 7. absq̃ Dei jussu, cum opinione cultûs jejunantes, dicuntur non DOMINO, sed sibi jejunasse. Et Esa. 58. vers. 5. Nunquid tale est jejunium, quod elegi, per diem hominem affligere animam suam, ut incurvet quasi juncum caput suum, & saccum, & cinerem sternat.

Pari nempe censu habenda sunt opera illa electitia Pontificiorum, in quibus propalâ etiam admiscetur idololatria, quando coram picturis & statuis, Christi captivitatem, illusionem, flagellationem & crucifixionem representantibus procidunt, & Pilati scalam Romæ geniculando perrepunt, indulgentias plurimorum peccatorum sibi polliciti. Maxime verò execranda sunt οὐτοπληξίαι, & flagellationes, quia decalogi præcepto quinto expressè adversantur, & peculiari insuper lege Deut. 14. prohibentur: Filii DEI estis, non vos incidetis; licet incisio ista super mortuo, splendidissimam speciem haberet prætextu luctûs.

II. In iisdem operibus, quæ quidem Deo placent, deest libertas ab obligatione VI.

tione mandati: sicut Hebr. 10. v. 36. Patientia, dicitur, necessaria, ad faciendam Dei voluntatem: Et Petri vox debitione obedientie omnes adstringit: Humiliamini sub potenti manu DEI, 1. Ep. 5. v. 6. Imò quicquid agunt omnes creaturae, si rectè agunt, ex debito illud faciunt. Fateri omnes oportet: quod debuimus facere, fecimus, Luc. 17. v. 10.

VII.
Exceptio
Bellarm.

Excipit Bellarminus, opera piorum ex Dei gratiâ implere has conditiones. Facit enim triplicem DEI gratiam, l. 4. de pœnit. c. 7. quâ accedente homines possint ex condigno & justè satisfacere. Primam vocat gratiam justificationis, per quam efficiantur filii Dei, & habitacula Spiritus Sancti, ut sic perfectâ esse possint opera laboriosa. Alteram gratiam facit illam, quâ DEUS, qui nostra omnia sibi jure vindicare posset, non tamen omnia, quæ facere possumus, imperet, sed certa quadam opera duntaxat mandat; alia verò permulta nō imperet, sed tantum suadeat, atq; ad ea facienda hortetur: Atq; ex hac Dei benignitate fieri, ut habeamus opera propria & indèbita, quibus pro injuriâ satisfaciamus: Esse & hoc benignitatis Dei, ut etiam ea, quæ ipsius sunt, nostra merita esse patiat, & quæ à manu ejus accepimus, sibi donari, libenter admittat. Tertiam Gratiam nominat illam, quâ ex æternâ pœnâ temporalem facit.

VIII.

Resp. Gratia justificationis non est charisma inherens, quia ea gratia opponitur operibus, Rom. 4. v. 4. 16. Rom. 11. vers 6. Galat 5. v. 4. Ephes. 2. v. 4. 2. Tim. 1. vers. 9. & significat misericordiam, propter Christi meritum per fidem imputatum, delicta condonantem, Exod. 33. vers. 19. Rom. 5. vers. 20. Rom. 9. vers. 15. & χάρισμα vitæ æternæ conferentem. Hanc justificationis gratiam ordine naturæ sequitur gratia benè operandi, quâ S. S. inhabitat corda justificatorum, & accendit in eis motus Deo placentes. Ex prioris gratiæ beneficio perfecti sumus perfectione absolutâ, sed imputatâ, Coloss. 1. vers 10. In ipso estis consummati. Posterioris autem gratiæ efficaciam, credentes dicuntur perfecti, justitiâ quidem inherente, sed imperfectâ, ut paulò antè probavimus.

IX.

Quando verò dicitur perfectâ, tunc hoc fit modò comparativè & relatè ad mundanos homines, sicut Noa dicitur perfectus in generationibus suis, Gen. 6. vers. 9. Vel Synechdochicè, ratione initii & desiderii, pro modulo hujus vitæ, secundum quem Spiritus Sanctus renatis datur, remanente adhuc luctâ carnis cum Spiritu, Galat 5. vers. 17. Unde & inchoata dicitur, id est, non omnibus numeris absoluta obedientia. Nam per idiotismum Hebraicum multa completivè dicuntur, quæ de inchoatione tantum sunt accipienda, ut Genes. 5. vers. 32. Cum Noa natus esset annos 500. genuit Sem, Japhet, & Ham, id est, cœpit gignere.

gnere. Sic domus vocatur, quæ etiamnum extruitur, quemadmodum dicta, 1. Reg. 6. vers. 1. Salomon edificavit domum Jehovæ, & v. 37. fundata est domus Jehovæ; sunt accipiendâ de inchoatione structura, & foundationis, sicut exponit, 2. Chron. 3. vers. 1. Eodem sensu pii dicuntur esse perfecti, quia tales esse incipiunt, & summo conatu illam justitiam, perficere desiderant.

Ut autem hæc perfectio imperfecta est, sicut Hieronymus, lib. 1. Dial. advers. Pelagium, & Bernhardus sermo. 10. in Psal. vocant; ita etiam includit imperfectam, & secundum quid dictam totalitatem, I. Partium, quatenus non in unâ parte legis, sed in omnibus præceptis dominicis, iustitiam bonæ conscientie sinit lucere, & pravis cupiditatibus resistit, quamvis illæ radicibus extirpari nequeant: Sicut David fecisse omnes voluntates Dei, Act. 13. vers. 22. & parentes Johannis Baptistæ dicuntur ἀμεμπτοι, justi & inculpatores, ob vitæ integritatem, & conversationis externæ exemplū, & incessisse in omnibus mandatis, & cōstitutionibus Domini, Luc. 1. v. 6.

X.

II. Imperfectam perfectionem graduum, id est, serietatem conatûs, & sinceritatem cordis, qua pii sunt zelote operû bonorû, Tit. 2. vers. 14. quemadmodum David dicitur, in toto corde fecisse, quod placitum in oculis Domini, 1. Reg. 14. v. 8. Asa in totâ voluntate suâ, 2. Chron. 15. v. 12. Josia omni corde in totâ animâ suâ & cunctâ virtute suâ, 2. Reg. 23. v. 25, quasivisse Dominum, & respuisse. Contra Amasias dicitur quidem rectè fecisse in oculis Domini, sed non corde perfecto, id est, corde sincero, sed simulato affectu, 2. Paral. 25. v. 2. quod Cor & Cor, 1. Chron. 12. v. 33. Psal. 12. v. 13. quasi cor dimidiatum in duas partes, vocari solet in sacris.

Ceteram manifestissimum argumentum hujus imperfectæ perfectionis est, quod iidem, quibus perfectio hæc tribuitur, etiam crassioribus lapsibus se commacularint, sicut expressè in commendatione perfectionis Davidicæ excipitur sermo, id est, res Uriæ, 1. Reg. 5. v. 15; nec parvum est peccatum, 2. Sam. 24. cum instinctu Satanae, idem David populum superbe recenset. Asa de Syrorum ope, ad impediendum Baesam Regem Israelis adhibitâ, reprehenditur à Prophetâ, quod stultè ageret confisus in homine, & non in Jehovâ Deo suo, 2. Chron. 16. v. 8. Idem Prophetam illum tradit in carcerem fonticum, v. 10. & in morbo suo non requisivit Dominum, sed medicis adhesit, v. 12. Josia quoq; temerè suscipit bellum contra Ægyptium regem Necho, & dehortationi regis Ægyptii, ex ore Dei profectæ, non auscultat, 2. Chron. 35. v. 20. 22. Deniq; Zacharias pater Baptista in dubium vocat promissionem divinam, & propter incredulitatem mutus efficitur, Luc. 1. v. 22.

XI.

Atq; ex his proclive est colligere, merum figmentū esse, quod Jesuita tradit

XII.

de alterâ gratiâ, quâ possint renati facere etiam ea, quæ non mandata, sed tamen suasa sunt. Si enim nullus hominum, ob corruptionem ex lapsu primo, potest implere Legem, multò minus potest aliquid ultra eam facere, quod sit indubitum. Quomodo item possit opus Deo placere, & Deo satisfacere, quod ipse maximè detestatur, Deut. 4. v. 8. 32. & Num. 15. v. 39. Cogitationes hominum ex propriâ intentione tales cultus eligentium, vocat oculos meretricios; quia illis ratio humana subinde novos cultus queritat, non secus ac meretricum vagabundi oculi, per omnes angulos vagantur. Usq; adeò mutuo se responso consequuntur, Opus Deo placens, & Opus ab ipso mandatum.

XIII.

Tertia deniq; gratia similiter nulla est, quia pœna aeterna non commutatur in temporalem. Nam pœna temporalis est & manet distincta pars maledictionis divinæ, sicut ex c. 3. Genes. constat. Est & ipsa quoq; nihil aliud, quàm meritum peccati, ex infiniti DEI offensione: cum Justitia Dei omnes, qui jus ejus violant, & hic & in alterâ vitâ puniri postulat, Rom. 1. v. 32. In remissione ergò peccatorum, non mutatur pœna aeterna in temporalem, sed utraq; tollitur. Docet hoc, 1. parabola servi debitoris decies mille talentorum, cui dicit rex: Totum debitum tibi remisi. Docet 2. peccati nostri in CHRISTUM conjunctio, ad luendas pro nobis, & aeternas, & temporales pœnas; Quas dum persolvit, delevit Chirographum, quod adversus nos, seu nobis contrarium erat, Coloss. 2. vers. 14. Ita, ut fideles, qui ad solutionem illam provocant, non possint jure accusari, Rom. 8. vers. 33. multò minus damnari, Rom. 8. vers. 1. Id quod 3. & evincit satisfactionis pro pœnâ temporali descriptio, & afflictionum, quæ piis immittuntur, proprietates. Pro pœnâ enim temporali satisfacere, est tollere obligationem ad ejus perpeffionem, & insuper acquirere jus liberationis ab eâ, ut omnis afflictionis, quæ justificatis postea immittitur, sive personalis, sive naturalis, tum mitigatio, tum liberatio, vel successiva, vel simultanea sit à CHRISTO promerita, & fide in idem meritum Christi applicetur. Hoc Christianorum scitum est, quod nunquam frustra orent, etiam in petitione temporalium bonorum, & si id, quod petunt, non impetrant, tamen propter meritum Christi melius quid & utilius accipiant, teste Bernhardo.

XIV.

3. Requiri-
tum satis-
factionis. Satis jam de his duobus requisitis. Reliqua est tertia conditio satisfactionis pœnas coram Deo expiantis, nempe æqualitas seu proportio inter culpam, & meritum illius, & inter precium, quo fit compensatio; Oportet enim precium æstimari tanti, quanti valet res ipsa, pro qua precium solvitur. Illud verò precium non potest esse æquale, nisi persolvatur à personâ infinitâ. Quia enim debitum est infinitum, propter offensio-

offensio-

offensionem personae infinita, ideo requiritur virtus divina ad dignè compensandum illud debitum. Cumq; hoc requisitum in nullam creaturam cadere manifestum sit, evidenter etiam colligitur, quod satisfactio eidem sit impossibilis. Unde 2. Cor. 5. vers. 19. Christo tribuitur reconciliatio mundi, quia DEUS in eo erat.

Excipit Bellarminus lib. 4. de pœn. c. 1. distinguendo, inter satisfactionem perfectam, quæ requirat, ut fiat ex propriis, & ad æqualitatem ex rigore Justitiæ spectatam: & inter satisfactionem imperfectam, cuius duo requisita facit, 1. Est, compensatio culpæ quoad injuriam tantum: pro amicitia enim cum DEO renovanda, hominem non posse satisfacere, sed egere necessario acceptationis, quæ præsupponat amicitiam. 2. Est, ut sicut offensio est infinita ex parte objecti, ita opera satisfactoria habeant infinitatem ex parte principii satisfaciens, hoc est, fiant à Spiritu Dei hominem inhabitante, sive ab ipso homine, ut membro Christi, ac filio DEI jam per charitatem & gratiam effecto. Hanc distinctionem porrò sic applicat, ut dicat, l. minem resipiscens compensare culpam tantum, quoad imperfectam æqualitatem, per opera renovationis: & rationem reddit, quia jam in remissione secundâ, seu reconciliatione post Baptismum, per contritionem, & alias dispositiones sit impetrata restitutio amicitie cum DEO, & non nisi compensatio injuriæ restet.

XV.

Exceptio
Bellarm.

Resp. Prius requisitum imperfecta satisfactionis 1. repugnat ordini reconciliationis. Neq; enim peccator potest in gratiam cum DEO redire, nisi quoad omne peccati meritum satisfactum sit, & injuria quoq; compensata fuerit, ut in superiore capite diximus. 2. Confundit objectum justitiæ punientis, quod est CHRISTUS, & objectum misericordiæ divinæ, satisfactionem alienam imputantis, quod est peccator, agnitis prius & deploratis peccatis, credens. Si ergo homo resipiscens adhuc obligatus esset ad injuriam compensandam, utiq; adhuc inimicus Dei esset, nec satisfactio Christi imputata ipsi fuisset in justitiam. Hoc autem falsum esse, totus locus Justificationis probat. Ideoq; homo justus jam per imputatam Christi justitiam, in judicio Dei declaratus, & Dei amicus factus, ad nullam pœnam tanquam non remissam, tenetur, sed gratis per justitiam remunerantem Evangelicam præmiis afficitur, quæ sunt hæreditas vitæ æternæ, & omnia bona à Christo nobis promerita, ut dicitur, Hab. 2. Justus fide sua vivet.

XVI.

II. Requisitum de aliquali infinitate operum satisfactoriorum est falsissimum. Ipsa quidem gratia Spiritus S. ut est proprietas divina, est infinita: sed

XVII.

sed

Sed charismata, seu dona per gratiam sunt finita. Soli CHRISTO, in quo tota plenitudo divinitatis habitat $\sigma\omega\mu\alpha\tau\iota\kappa\omega\varsigma$, Coloss. 2. v. 9. secundum carnem, Deus non admittitur seu ad mensuram dat Spiritum, Johan. 3. v. 34. De venatis vero omnibus qui longe aliter ac Christus sunt filii Dei, nempe per gratiam adoptionis, dicit Apostolus, Ephes. 4. v. 7. Unicuique nostrum data est gratia $\kappa\tau\iota\tau\delta\ \mu\acute{\epsilon}\tau\omega\upsilon\tau\omega\varsigma\ \tau\acute{\alpha}\varsigma\ \delta\omega\epsilon\tau\acute{\alpha}\varsigma\ \chi\epsilon\iota\varsigma\ \tau\acute{\epsilon}\varsigma$, pro mensuram doni Christi, quem versu sequente dicit in altum ascendisse, ut daret dona hominibus. In eodem cap. v. 16. dicit, corporis mystici, quod est Ecclesia, unumquodque membrum habere suam mensuram. Et 2. Cor. 10. v. 12. sibi in specie tribuit $\tau\delta\ \mu\acute{\epsilon}\tau\omega\upsilon\tau\omega\varsigma\ \tau\acute{\epsilon}\varsigma\ \kappa\acute{\alpha}\rho\omega\upsilon\varsigma$, modum ad regulam & mensuram, quam sibi distribuit Dominus. Quid quod in vita aeterna quoque charismata ista glorificatorum perpetuo certa sint mensura: quanto ergo magis in hac vita, ubi $\acute{\alpha}\pi\alpha\rho\epsilon\chi\theta\epsilon\tau\ \tau\acute{\epsilon}\varsigma\ \sigma\tau\iota\upsilon\mu\alpha\tau\alpha$, primitias Spiritus tantum accipimus, Rom. 8. v. 23?

XVIII.

Pontificia distinctio satisfactionis coram Deo.

XIX.

XX.

1. Sed ipsa quoque distinctio satisfactionis coram Deo purum putum est figmentum: Deo enim satisfieri non potest, nisi per $\iota\sigma\beta\acute{\epsilon}\xi\omicron\sigma\tau\omega\upsilon$ precium: Ut vel ipsa etymologia vocabuli notat, secundam quam Biel lib. 4. Sent. distinct. 16. Adverbium, satis, importat correspondentiam ejus, quod redditur, ad illud, pro quo redditur.

2. Eidem & reclamatur disertè Apostolus, qui Rom. 8. v. 18. $\lambda\omicron\gamma\iota\zeta\epsilon\tau\ \alpha\iota$, id est, omnibus bene expensis statuit, hujus temporis passiones, quas pii ex gratia Spiritus Sancti in ipsis inhabitantis, vers. 11. & passiones illas unà sublevantis, v. 26. perferunt, non esse condignas, aut aequales ad futuram gloriam, quæ revelabitur in nobis.

3. Quin imò si Deus ejusmodi compensationem peccatorum, per afflictionum susceptionem, & illationem prescriberet, omnino necessum esset, conscientias perpetuo angore confici, & dubitationibus de satisfactionis quantitate torqueri, non minus, quam si nulla remissio peccati facta esset.

Atque ut hæcenus dicta compendifaciamus, totam rem hoc Syllogismo demonstratam damus:

Quicquid vel propter imperfectionem, vel $\acute{\epsilon}\delta\epsilon\lambda\omicron\delta\pi\iota\sigma\kappa\epsilon\iota\alpha$ non est DEO acceptabile, & si esset tale, tamen aliàs deberetur DEO, nec ullam proportionem habet ad offensam, ex parte objecti, quod læsum est, infinitam, ejusque meritum malum, id non potest coram DEO esse satisfactorium.

Sed passionum temporalium susceptio, vel spontanea, aut à sacerdote imposita illatio, vel propter imperfectionem, vel

vel ἰδελοθρησκείαν, DEO non est acceptabilis ad satisfactionem, & si maximè esset talis, tamen aliàs ipsi deberetur; nec habet ullam proportionem ad offensam, ratione objecti, quod læsum est, infinitam, ejusq; meritum malum.

Ergò passionum temporalium vel patiens susceptio, vel spontanea, aut à sacerdote imposita illatio, non potest esse coram DEO satisfactoria.

II. Argumentum ab individuali Christi proprietate. XXI.

Quodcunq; opus Christus, ut Redemptor, unicâ sui oblatione immediatâ perfecit, id non potest adscribi aliis.

Satisfactio pro nostrorum peccatorum pœnâ temporali, non secus ac pro pœnâ æternâ, est opus, quod Christus unicâ sui oblatione immediatâ perfecit.

Ergo satisfactio pro pœnâ temporali, non secus ac pro æternâ, non potest adscribi creaturis.

Ratio majoris est, quia gloria Redemptionis est individua, non potest dari alijs, Esa. 42. Minor expressissimis testimonijs Scripturæ comprobatur, & Jesuitæ præcludit omnia effugia, quibus elabi conatur. Quia enim non potest, citra manifestam blasphemiam, negare satisfactionem Christi; Ideò fingit I. diversum modum satisfactionis, alium pro culpâ & pœnis æternis, & aliû pro pœnis temporalibus. Pro illis contendit Christum immediatè satisfecisse; has autem mediatè compensare, quatenus operibus laboriosis pœnitentium, Christus suâ satisfactione in virtus sit gratiam, & vim satisfactoriam pro pœnis temporalibus. II. Distinguit inter satisfactionem Christi, etiam pro pœnis temporalibus; & inter ejus applicationem, juxta quam opera pœnitentium, ex gratiâ Spiritûs Christi, vim illam satisfactoriam, à Christo promeritam habentia, cooperentur satisfactioni Christi in expiandis peccatis, quoad pœnas temporales.

Exceptio
I. Bellar-
mini con-
tra hoc
argumen-
tum.

Resp. Phylasphemias! Talemnè gratiam pientissimo Redemptori haberi, ab impurissimâ ista spiritibus! Clarissima vox Scripturæ, Rom. 5. v. 18. Per unum *δικαιωμα* in omnes ad justificationem vitæ abundavit gratia DEI. Act. 20. v. 28. DEUS proprio sanguine sibi acquisivit Ecclesiam. Hebr. 9. v. 12. Per proprium sanguinem ingressus est in sancta sanctorum, nactus perpetuam redemptionem. Hebr.

D

10. v. 14.

XXII.

10. v. 14. Unicā oblatione consummavit in æternū sanctos.
Ephes. 5. v. 2. Tradidit semetipsum pro nobis oblationem, & ho-
stiam DEO, in odorem suavitatis. *Es. 53. v. 5.* Exigitur (pena)
& ipse affligitur; v. 10. Anima ejus exposuit seipsam piaculum.
v. 12. In mortem profundit seipsum. *1. Pet. 2. v. 24.* Peccata nostra
ipsemet sustulit in corpore super lignum. *1. Tim. 2. v. 6.* Christus
dedit semetipsum ἀντίλυτρον pro nobis. *Hebr. 1. v. 3.* Per seipsum
factā peccatorum nostrorum purgatione sedit ad dexteram
Majestatis.

XXIII.

Hinc sic colligo.

Qui pro pœnis etiam temporalibus, præstat ipsum actum
perfectæ satisfactionis, & quidem semel, & per semetipsum,
ille immediatè satisfactor est, & expiat illas pœnas non
per alios, & pluribus vicibus.

Christus pro pœnis etiam temporalibus semel præstat ipsum
actum perfectæ satisfactionis per semetipsum.

Ergo immediatè satisfactor est, & expiat illas pœnas non per
alios, & pluribus vicibus.

XXIV.
2. Exce-
ptio Bel-
larmini.

II. Exceptio prorsus deliros esse Jesuitas arguit. *Acquisitio enim remis-
sionis pœnarum sive satisfactio, totā naturā suā discriminatur ab ejusdem sa-
tisfactionis & acquisitæ remissionis applicatione. Si ergo reconciliati verè
satisfaciunt pro pœnis temporalibus, per cooperationem cum satisfactione
Christi; ut expresse scribit Bellar. lib. 2. de indulg. c. 7. sub fin. & veri no-
minis satisfactionem illam esse dicit, non fiet hoc per applicationem aliquam
meriti Christi, sed ipsam acquisitionem. Licet enim concederetur hypothesis
Pontificia, pœnas temporales in justificatione pœnitentium non remitti, sed
remanere; tamen illarum ipsarum pœnarum remissio futura, per applicatio-
nem tantum fieri oporteret, non per acquisitionem. Insulsa ergo prorsus est
confusio acquisitionis, & applicationis.*

XXV.

Porro si maximè remissio pœnarum remanentium fieret per applica-
tionem meriti Christi, diversam ab eā, quā applicatur acquisitæ remissio culpæ
ipsius, & pœnarum æternarum; tamen opera laboriosa non essent instrumen-
tum divinitus ad applicandum Christi meritum: Quod patet ex inductio-
ne organorum remissioni peccatorum applicandæ destinato-
rum: A parte DEI sunt δοτικὰ, seu exhibitiva, verbum DEI, & sacra-
menta, *Rom. 1. v. 10. Joban. 3. v. 5. Tit. 3. v. 5.* A parte nostra est appe-
hensi-

hensivum, nempe sola fides, Rom. 3. v. 3. & 4. c. 10. v. 17. 2. Præterea insigniter sibi metipsis adversantur hi gigantes, quia operibus laboriosis dicunt ex condigno acquiri remissionem pœnarum. Quod si jam ad causam meritoriam opera illa, ex ipsorum sententiâ, pertinent, quomodo ad rationem causæ organice pertinebunt?

III. Sed videntur sibi σοφὸν φάσμακον blasphemiarum harum invenisse, XXVI. quando excipiunt, satisfactionibus hisce non evacuari gloriam u- Mantellū nicipi satisfactoris Christi, sed potius illustrari, quia satisfactionem blasphemix Je- Christi statuunt tantæ esse efficaciam, ut etiam credentibus gratiam aliqualem suitæ. satisfaciendi communicare possit: per nos autem, qui hoc negemus, gloriam Christi deminui.

Resp. Mendacio Christus non honoratur, & glorificatur: Rectè Cas- XXVII. sianus lib. 1. de incarnatione: Non minoris est erroris impropria Christo tribuere, quàm propria derogare. Quod enim non dicitur ita, ut est, etiamsi honor videatur, non honor, sed contumelia est.

CHRISTUS est α & ω, Apoc. 1. v. 8. 11. c. 21. v. 6. c. 22. v. 13. XXVIII. non tantum quoad æternam existentiam, sed etiam quoad sufficientissimam & immediatam peccatorum quoad omnes pœnas expiationem. Quæ quoties per divinitus ordinata media nobis applicatur, simul & à culpâ, & ab omnibus pœnis propriè dictis absolvimur & liberamur, ut cap. 1. argumento 2. probavimus.

Dicant autem isti perdueles Christi, ubinam scriptum extet, quod Chri- XXIX. stus missus sit propterea, ut vim satisfactoriam communicaret reconciliatis, ut hi porro ipsi satisfaciant pro reatu temporalis pœnæ?

Præterea num hoc gloriosum sit Christo, quando gloria ejus alteri tri- XXX. buitur? Sic enim urgemus illos: Potentia divina non potest alteri conferri. At vis satisfaciendi pro pœnæ temporalis reatu est potentia divina. Ergò non potest aliis conferri. Minor probatur ex duplici documento omnipotentiam divinam, quod in satisfactione Christi conspicitur. 1. Est ipsum ἔργον, seu opus effectum, quia ἰσθέρων precium posse solvere infinitæ Justitiæ divinæ, pro infinito debito, non potest nisi DEUS. 2. Est ἀποτέλεσμα, opus eventum, nempe ex misero facere beatum, & destruere opus diaboli, quale est etiam reatus pœnæ temporalis. Ex misero namq̃ beatum reddere majus est, quàm ex nihilo aliquid facere. 3. Quid multius? ipse

filii D E I, Esa. 43. v. 25. hoc nobis apertissimè confirmat: Me servire fecisti in peccatis tuis, (i.e. propter peccata tua) laborare me fecisti in iniquitatibus tuis; Ego, Ego sum ipse, qui deleo iniquitates tuas propter me, & peccatorum tuorum non recordabor. Vult enim in eo capite contra falsos gentilium DEOS, asserere veram suam Deitatem, quam demonstrat quinque proprietatibus, 1. à potentiâ creationis, & providentiæ, v. 1. 2. ab æternitate, v. 11. 13. 3. ab omniscientiâ, & infallibili futurorum prædictione, v. 9. 10. 12. 4. ab adorabilitate, & honore invocationis, v. 12. & deniq; 5. Ex merito satisfactorio pro peccatis nostris, & potestate ἀνυπαρτεῖν remittendi peccata, v. 25. Sicut ergo priora attributa & effecta sunt aliis incommunicabilia; ita & vis promerendi, & satisfaciendi pro peccatis, quoad eorum meritum, alteri non poterit communicari: Ideoq; postremum hoc argumentum singulari verborum pondere profert. Nam 1. repetitione Ego, Ego, excludit alios ab hâc muneris functione. 2. Modum agendi notat, addito pronomine I P S E, ut removeat omnem subordinatarum, vel coordinatarum causarum concursum. Et quid homines cooperarentur suis laboriosis operibus, cum illi ipsi sint, quorum peccata causa sunt, ut CHRISTUS laboret in persolvendis pœnis temporalibus & æternis? 3. Causam impulsivam adjicit: Propter me, id est, à mei ipsius misericordiâ moveor, ad hoc faciendum, nullis ullius operibus, nullis meritis adductus.

III. Ab autoritate Patrum.

XXXI.

Ambrosij 1. Cor. 1. Si Christus pro nobis mortuus est, quomodo gratiam ejus, & beneficium hominibus imputamus ad ejus injuriam?

Injurij ergo sunt Pontificij in CHRISTUM, qui ejus beneficium, nempe deletionem Chirographi seu obligationis à quâvis pœnâ, imputant & adscribunt hominibus quoad temporariam pœnam.

Hieronymus commentario in Isa. c. 35.

Quod nos debebamus pro nostris sceleribus sustinere, ille pro nobis passus est, pacificans per sanguinem crucis suæ, sive quæ in terrâ, sive quæ in cœlis sunt.

Augustini tractat. 7. in Job.

Ergo singulariter ille hic est agnus D E I, quod singulariter hujus agni sanguine solo, homines redimi potuerunt.

Si

Si ergo singulariter Christus nos redimit, quomodo aliorum satisfactio-
nes stare potuerunt?

Quamvis autem Bellarminus, lib. 4. de pœnit. c. 9. colligat magnum
Catalogum testimoniorum ex scriptis Patrum, juxta singulas annorum à na-
to CHRISTO centurias; tamen scopum minime ferit, cum in longè alià
significatione vocabulum satisfactionis accipiat. In genere satisfacere
apud Latinos dicimur ei, cujus desiderium implemus, sicut explicat
Ulpianus l. 1. ff. qui satis dare coguntur. XXXII.
Patrum te-
stimonium
à Bellar-
mino al-
legata.

Hæc postea generalissima significatio satisfactionis duos admittit mo-
dos, circa pœnae quidem debitum spectata: Unus est compensatorius,
quando equaliter compensatur debitum, & condignè placatur offensus. Al-
ter verò deprecatorius & emendatorius, quo offensam lædens agno-
scit, deprecatur, & ab eâ desistit. Nam & hoc satisfacere dicebant vete-
res Latini, si quis eum, quem offenderat, deprecatur, & culpam ita confi-
tebatur, ut ejus maxime pœnitere se, ac FACTUM NOLLE significa-
ret, quod verbis solvere dicit eleganter Tertullianus in Adelphis. Nempe
quia deprecatio quasi solutio quædam est, quatenus ab offenso expetitur &
accipitur. Eodem pertinet illa significatio, quæ satisfacere dicitur idem,
quod confiteri, sicut Martialis dixit in illo trito disticho: XXXIII.
δυστυχία
voci, Sa-
tisfactio.

Nil in te scripsi, Bithynice, credere non vis,
Et jurare jubes, malo satisfacere,

id est, rem fateri, Confessio namque est primus ad deprecationem, & satisfac-
tionem emendatoriam gradus. Unde Tertullianus c. 8. de pœnit. Confes-
sio satisfactionis consilium est: dissimulatio, contumaciæ. Et in
Apologetico: Satisfactio confessione disponitur, confessione pœ-
nitentia nascitur, pœnitentiâ Deus mitigatur.

Porro utraq; satisfactio, vel fit DEO, vel hominibus. DEO satisfa- XXXIV.
ctio compensatoria, quia nobis impossibilis erat, præstita est pro nobis à
CHRISTO, pro omnibus peccatorum nostrorum meritis, ideoque illam à
nobis non exigit, nec voluntatem suam hoc modo impleri præcipit. Emen-
datoria satisfactio & nobis à DEO præcepta est, & cum seriam pœniten-
tiam agimus, desistimus à malo, & facimus bonum, tunc voluntati DEI
obedimus.

Et hoc posteriore modo Patrum dicta sunt accipienda, cum dicunt, XXXV.
DEO nos satisfacere. Fidem facere possunt autoritates Patrum à Bellar-
mino

mino d. l. allegata, e quibus ista sufficiant. Augustin. libro de Eccles. dog-
mat. c. 54. Pœnitentiæ satisfactio est, causas peccatorum excin-
dere, nec eorum suggestionibus aditum indulgere. Pacianus in
paran: de pœnit: Ad patrem vestrum vera satisfactione redeatis,
nihil ulterius errando, nihil pristinis adjiciendo peccatis, dicen-
do etiam humile aliquid, & flebile; peccavimus in conspe-
ctu tuo.

Bernhardus de domo interiori, c. 1. Condigna (conveniens pœniten-
ti) satisfactio, malefacta corrigere, & correctâ non iterare.

XXXVI. Et solidissimè probat hanc significationem pœnitentium I. Sordidus &
squalidus habitus, quem satisfactionis habitum inde appellat Tertullia-
nus de habitu muliebri, c. 1. II. Exercitia jejuniorum, & abstinentiæ à de-
licis, quæ idem Tertullianus lib. de animâ, c. 48. vocat humiliationis of-
ficia. III. Gestus, qui erant presbyteris advolvi, & caris DEI homi-
nibus ceteris, nempe Laicis, adgeniculari, ut loquitur Tertullianus lib. de
pœnit. c. 9. ubi hæc omnia describit γεαφικώτατα. At hæc humiliatio est de-
precantium.

XXXVII. Atq; ex his etiam possunt intelligi phrasæ patrum, quando dicunt:
peccata purgari, lavari, expiari, redimi, pœnitentiâ, ejuq; exercitiis. Non
enim loquuntur de expiatione propriâ, quâ peccata luuntur, sive
De qua solvendo pœnam debitam, sive aliud, quod pœne debitæ in locum succedit:
purgatio- non etiam de redemptione propriè sic dictâ, quæ fit interventu precij equiva-
ne pecca- lentis, in commutationem dati, ad placandum superiorem, qui reum detinet
torum Pa- captivum; non etiam de purgatione, seu ut veteres vocabant, lustratione
tres loquâ proprie dictâ, quæ fiebat per lustrum, id est, pœnam succedaneam, quæ & pia-
tur. culum dicebatur. Talis enim purgatio peccatorum est, quoad culpam, &
reatum, & dicitur remissio. Hæc enim opera sunt solius Christi ἀξιό-
ματα.

XXXVIII. Sed de purgatione seu ablutione peccati, quoad exerci-
tium, quando radix peccati mortificatur & crucifigitur, & peccata proe-
rentia vitantur & caventur. Hoc sensu ait Hieronymus in Jerem. Peccata
purgari monitis. Sapè item redimere metaphoricè idem est, quod libe-
rare, & si de re, à quâ fit ereptio, sermo sit, abrumpere, tollere, abijcere.
Cumq; peccatorum omisio fieri non possit, quin etiam ad bonum fiat conver-
sio, propter immediatam boni & mali oppositionem, qua ille, qui desistit esse
malus, fit bonus, idè hæc ipsâ phrasi significatur correctio seu emendatio vite
in

in melius; quemadmodum in c. 4. Dan. v. 27. vulgata habet: redime peccata tua, cum in fontibus sit verbum קָרַם quod ut & Hebraicum קָרַם significat telam abrumpere peccatorū, & eorum loco, justiciam ac benignitatem exercere erga pauperes variis modis antehac afflictos & oppressos, Dan. 5. v. 9.

Et hujus distinctionis mentio fit etiam ab exercitatissimo Theologo XXXIX. Chemnitio, Tertia parte L. C. de bonis operibus in Classe undecimā argumentorum Pontificiorum, mihi pag. 204.

Sic quando dicunt, Deum placari lacrymā, precibus, non loquuntur de Quomodo iisdem
acquisita placatione DEI, quæ CHRISTI ut in asneis & placamenti no- do iisdem
stri propria est, sed de applicatione per fidem pœnitentium, quæ precedaneam Patribus
habet contritionem, & deprecationem peccati. dicamur
Deum
placare?

Satisfactio autem, quæ coram hominibus fit, est & depre- XL,
catoria, & compensatoria. Nam lapsis imponebatur culpa deprecatio, neq; prius pax (quam vocabant) Ecclesie dabatur, nisi Antiqua quadam cum istu demissionis actibus publicis conjuncta, qualis erat absentio a cœnâ, & c. præcessisset. Hæc si non tantum Ecclesie, verum etiam DEO fieri dicitur, tunc ratione DEI tantum est deprecatoria & emendatoria satisfactio; quatenus offensio proximi, & disciplina Ecclesiastica violatio abrumpitur, ac suscipitur reconciliatio cum proximo, Luc. 17. v. 4. 5. & sarta tecta manet disciplina Ecclesie.

Sed hæc tota phraseologia postea in diversissimum sensum tracta est à XL,
mercenariis Pontificiis. Nam 1. satisfactionem, à confessione diversam, fecerunt pœnitentiæ partem; cum veteres ipsam confessionem, deprecationem, & emendationem peccati vocarent satisfactionem coram DEO. 2. Satisfactionem veteres non vocarunt pœnarum temporalium pro peccato lutionem: sed deplorationem, emendationem, & fugam ipsius peccati. I.

Deniq; Satisfactionem externam, quæ Ecclesie præstatur, per pœnarum XLII,
Canonicarum lutionem, Pontificij faciunt necessarium requisitum pœnitentiæ, & remissionis peccatorum.

Sed veteres judicarunt, non esse necessariam, sicut Ambrosius in Lucam lib. 10. c. 96. ait de Petro: Lacrymas ejus lego: Satisfactionem non lego. In cujus testimonij detorsione admodum sibi placet Bellarm. l. 4. de pœnit. c. 16. quando ait; Satisfactionem ibi significare excusationem, vel defensionem; quia statim adjiciatur post dicta verba: quod defendi non potest, abluī potest: Et in serm. 46. ubi eandem illam sententiam posuerat: Lacrymas lego, Satisfactionem non lego; mox addat: Rectè Petrus fleuit, & tacuit, quia quod defleri solet, non solet excusari.
Resp.

Resp. *Utrumq;* de Petro dicit Ambrosius, & quod peccatum non excusa-
rit, sicut Adam, ac propterea laudat Petrum: Et quod tamen pro eo non
satisfecerit per externam poenitentiam.

Verum satisfactionem ibi non esse idem, quod excusationem; apparet
1. ex antithesi, quia lacrymas & satisfactionem opponit. Sed accusatio-
nem sui, & non excusationem peccati comprehendit sub lacrymis; quia, in-
quit, quod defleri solet, non solet excusari. Ergo de excusatione fa-
cti non accipit satisfactionem. 2. Ex scopo Ambrosij, cujus discursus eò totus
dirigitur, ut demonstret, Petrum non egisse externam poenitentiam Ecclēsia-
sticam, quæ tempore Ambrosij in Ecclesia vigeat, & multos terreat, sed
peccatorum serio deploratorum veniam fide in CHRISTUM obtinuisse;
quæ due partes, contritio, inquam, seu deploratio peccati, & fides, sunt ad
constituendam internam, ut vocant, poenitentiam, tanquam *ὑποτέτακτα*
concurrentes.

4. Satisfactio Canonica apud veteres semper antecedebat absolutio-
nem à peccatis, exceptis moribundis peccatoribus. Postea Pontificij, ut ex dis-
pensationibus occasiones lucri captandi haberent, post absolutionem luendas
pœnas imposuerunt.

XLIII.

πρόσκλησις 1. Si non possunt poenitentes pro
suorum peccatorum pœnis temporalibus satisfa-
ctionem compensatoriam præstare, multò minus
possunt, aliorum, sive viventium, sive mortuorum,
quos in purgatorio esse fingunt, reatum tempora-
lem expiare.

1. De satisfactione expiatoriâ satis hoc probavimus; imò neq; de satu-
factione deprecatoriâ verè potest dici, quod aliis proficit. Nemo enim pro
alio potest poenitentiam agere, & signa poenitentiae edere; nemo pro alio pot-
est credere, cum dictum sit Habacuc. 2. Justus fide suâ vivet. Ideo Virgi-
nes prudentes nolunt dare fatuis de oleo suo, ne & ipsæ deficiant, Matth.
25. v. 19.

2. Possunt quidem alij p̄i pro lapsis orare DEUM, ut in illis seriam po-
nitentiam, & fidem operetur. Unde poenitentium mos erat adjicere se pedi-
bus electorum, sicut supra diximus, & prehensare fratres, non tantùm idèd,
ut

ut scandalum datum illis ignoscerent, sed etiam, ut deprecationis ad DEUM legationes ab ipsis impetrarent, sicut loquitur Tertullianus lib. de pœnit. c. 9. Ubi legationes deprecationis vocat, preces pro lapsis, quia veluti legati sunt ad DEUM: Ut Ælianus apud Eusthat. lib. 9. Iliad. ἐυχὴν vocat πρὸς τὸν θεὸν ἀδωρότατον, incorruptissimū ad DEUM legatum. Hinc Presbyteri Ecclesiæ Romana ad Cyprianum scribunt: Mittant legatos pro suis doloribus, lacrymas. Advocatione fungantur ex intimo pectore prolati gemitus. Et tales preces, imò & lacrymas, & ejulationes non tantum Laici, sed & Clerici, ipseque adeo Episcopus, sæpè etiam humi prostratus, conjungebant cum precibus pœnitentiam assumentium. Sicut Cyprianus de lapsis ait: Cum lacrymis nostris, lacrymas vestras conjungite; cum nostro gemitu, vestros gemitus copulate. Sed hic mos intercedendi pro lapsis, nihil juvat causam Bellarmini: quia 1. preces aliena possunt quidem lapsis pœnitentiam & fidem, aut earum incrementa impetrare, remissio tamen peccatorum propriâ cujusque fide accipitur. 2. Ipse Bellarminus fatetur, lib. 2. c. 15. de purgatorio, orationem pro aliis, quatenus iis aliquid impetrat, non esse suffragium satisfactorium, sed tantum impetratorium. Hæc autem oratio pro lapsis flagitat tantum Deum pro fide lapsis danda, & si exauditur, duntaxat impetrat; non autem deprecatur loco & vice lapsorum, quod omnino requiretur, si vel deprecatoria satisfactio vice aliorum, locum habere posset. Multò autem minus satisfactionem expiatoriam pii pro lapsis Deo prestare poterunt.

Allegat etiam Bellarminus Martyrum passiones pro lapsis, quas Ecclesiæ exprobravit Tertullianus, cum Montanizans ait de pudicit. c. 22. sufficiat Martyri propria delicta purgasse, ingrati est vel superbi in alios quoque spargere. Item: Si peccator es, quomodo oleum faculæ tuæ sufficere tibi, & mihi poterit? Resp. Si Tertullianus loquitur de internâ pœnitentiâ, verissimè illius verba se habent, & minime sapiant Montanismum. Quod si agit de externâ pœnitentiâ, tum contendit, frustra Martyrum suffragiis dispensationem pœnitentiæ publicæ impetrari, quia nulla possit esse talis in Ecclesiâ Dei pœnitentiæ, & propterea non esse, ut Martyres lapsis compatiantur, & illis veniam petant ab Ecclesiâ: quo respectu ipsum Montanizasse non infitiamur. At verò suffragia illa Martyrum non erant satisfactiones, sed intercessiones apud Ecclesiam, ut hi vel illi pœnitentes citius in cõmunionem Ecclesiæ reciperentur: quorum etiam precibus locum relinquebat Ecclesiæ, tanquã cuius bono supplicium subirent Martyres, suâ passione doctrinam cœlestem obfirmantes,

E

&

III.

& confirmantes. Proinde iterum ex his, ne deprecatoria quidem satisfactio, nedum expiatoria, qua in controversiam venit, probari ullo modo potest.

IV.

Oratio-
nes vete-
rum pro
mortuis,

Porro illa preces pro aliis, quae nullo modo sunt satisfactiones, sed flagitationes tantum bonorum, quae impetrant, vivis solummodo profunt, non mortuis, quia tempus gratiae, & veniae peccatorum, quoad quoslibet, in ipsa morte terminatur. Ideoque si maxime purgatorium esset, ex illo liberare neminem possent. Veterum autem orationes pro mortuis erant vel gratiarum actiones, vel vota, pro ipsorum cum aliis pios resurrectione acceleranda, juxta dictum: Adveniat regnum tuum. Nam ideo & pro Martyribus orabant, quos ipsi Pontificii negant in purgatorium venire. Non tamen inficias iverimus, veteres interdum has lineas transivisse, & remissionem peccatorum venialium mortuis impetrare voluisse. Sed quid mirum, eos ita modum excessisse, cum etiam damnatis poenas per vivorum preces mitigari putarint, teste Chrysost. ad Philippens. hom. 3. & Damasceno sermone de mortuis juvando. Hinc vero purgatorium non probabunt, nisi & illud ad damnatos pertinere statuunt, id quod maxime negant.

V.

Sic & jejuniorum, & eleemosynarum exempla, quae Jesuita allegat, satisfactionem non evincunt. Fuerunt enim fructus poenitentiae verae, quam ut pro aliis agere non potuerunt, ita nec loco illorum jejunarunt, nec loco illorum eleemosynam, ut fructum alienae fidei, erogare potuerunt. Sed haec in disputationibus adversus purgatorium, latius explicari solent.

II. πόνος. Execrabilis ergo vox est, praeter Christum posse alios quoque laxè, & respectu poenarum temporalium expiandarum, dici Redemptores.

I.

Non dubitat Bellarminus lib. 1. de indulgent. cap. 4. sub finem, in hac verba erumpere: Si largo modo redemptor appellatur, quicumque liberat alium ab aliquo debito, non erit absurdum, si viri sancti Redemptores nostri dicantur aliquo modo, id est, secundum quid, non simpliciter, & largo modo.

II.

An verò absurdum tibi, blasphemus homo, non est, ea, quae in sacris sunt fundatissima, convellere? Torcular, inquit Salvator apud Prophetam Esaiam 43. c. v. 24. calcavi solus, & vir non est mecum, id est, ne unus quispiam est mecum: quae gemina exclusiva longissime removeret omnes in satisfactions

factione Collegas, & cooperatores. Sic Act. 4. magnâ verborum emphasi vindicatur CHRISTO solitaria & immediata satisfactio & salutis acquisitio: Non est aliud nomen sub cælo datum, in quo oporteat nos salvos fieri: Quod si non est nomen aliud, & quidem sub cælo, id est, uspiam, utiq; non pluribus communicari poterit hoc nomen; si oportet nos in hoc nomine salvari; Ergo necessitas imponitur per hunc, & non alium salvari.

Cognoscamus verò Jesuitæ improbam probationem, quam petit ex 1. Cor. 9. v. 22. & 2. Tim. 4. vers. 16. Ubi ministri verbi suos auditores & se ipsos etiam salvare perhibentur.

III.

Resp. Prorsus est dissimilis ratio. Nam 1. Salvatio dicitur & de acquisitione, & de applicatione salutis: Illa perficitur à CHRISTO immediate, ut & satisfactio. Hæc mediate. Non autem de illâ, sed de hæc loquitur Apostolus. Si ergo voluisset aliquid concludere Jesuita, debuisset ab acquisitione salvationis argumentari. 2. Applicatio quidem fit per certa media, Verbum & Sacramenta, eorumq; ministerium sacrum, sed perpetuum tamen manet discrimen in applicationis modo, quia efficacia applicationis, & ἀποκαταστατικὴ potestas absolvendi à peccatis nulli hominum communicabilis: Præcones autem verbi tantum administrant media Dei salutifera, & vocem ac manum suam DEO, in prædicatione Verbi, & Sacramentorum dispensatione commodant. Ita fatetur Johannes Baptista Matth. 3. v. 11. Ego baptizo aqua, &c. ipse (Christus) vos baptizabit Spiritu sancto & igni. Et Paulus 1. Cor. 3. v. 7. Neque qui plantat, neque qui rigat est aliquid: sed qui dat incrementum, DEUS. Cur ergo, inquis, Apostolus salvandi actum tribuit ministris verbi? quia licet distincta, non tamen divisa, sed conjuncta est Dei, & ministrorum operatio in hoc ἐπιτελεσµατι Deo per Ministerium, verbi & Sacramentorum, salvandi efficaciam exerente.

Ceterum Jesuita etiam locum Dan. 4. allegat, quo jubetur Nebucadnezar redimere peccata sua. Sed hanc redemptionem, sive ut fontes Chaldaei habent, ablationem peccatorum non expiatoriam vel satisfactoriam, sed emendatoriam esse, superius diximus. Proinde nihil ad rem facit probatio.

E 2

Sed

Sed hinc sistimus, & Coronidis loco versiculis quibusdam
hymni ex hortulo animæ veteri disputationem claudimus.

TE crucifixum colimus,
Et toto corde poscimus,
Ut nos sanctorum catibus
Conjungas in cœlestibus.
Christum Ducem, qui per crucem
Redemit nos ab hostibus,
Laudet cætus noster laetus,
Exultet cælum laudibus.
Pœna fortis tue mortis,
Et sanguinis effusio,

Corda terant, ut te querant,
JESU nostra redemptio.

Per felices cicatrices,
Sputa, flagella, verbera,
Nobis grata sunt collata,
Æterna Christi munera.

Nostrum tangat cor & plangat,
Tuorum sanguis & vulnere,
In quo toti sumus loti,
Conditor alme siderum.

GRATIA TIBI DOMINE
JESU!



152

Grimma

10. Juli 1985

24. April 1987

mpeln!

31.8° 4242 x

